

Andreas Daniel Habichhorst Georgius Henricus Hermann

Dissertatio Politico-Historica De Constantino Magno, Christianismi Inter Romanos Imperatores Primo Defensore Strenuo Et Confessore Publico

Rostochii: Kilius, 1670


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740048562>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 1.Okt. 1670

Habichhorst, Andr. Dan. /a



Ad protol. 503 p. 8. 17. gibus 1670

DISSERTATIO POLITICO-
HISTORICA
DE

**CONSTANTINO MAGNO,
CHRISTIANISMI**

INTER ROMANOS IMPERATORES
PRIMO DEFENSORE STRENUO ET
CONFESSORE PUBLICO,

Quam

In Illustriss. ad Varnum Academia
Amplissimæ Facult. Philos. consensu
MODERATORE DEO nostro & CHRISTO suo,
cujus nunc est Regnum & potestas,
PRÆSIDE

**M. ANDR: DANIELE
HABICHHORSTIO,**

S S. THEOL: CANDID.

Placido ἱστοριοφίλων examini
Horis locoq; consuetis
exhibet

GEORGIUS HENRICUS Hermann

Replino-Mekl. S S. Th. Stud.

Ad D. 1. Octobr. ANNO M. DC. LXX.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Univerfit. Typogr.

1670

T. ©. Δ.
DE CONSTANTINO M.
Disquisitio.



Nter Romanos Imperatores quisnam primus fuerit Christianus, Historici disquirunt. Quidam pro *Philippo Arabe*, qui vixit seculo tertio post Christum natum; alii pro *Constantino M.* qui seculo seq. quarto rerum fuit potitus, pronunciant. Et quidem *Eusebius* inter alios l. 6. Hist. Eccl. c. 34.

Fertur, inquit, quod cum Christianus esset *Philippus*, & in precationibus multitudini Ecclesiastica tanquam consors conjungi vellet, ab eo qui tum Ecclesia praeerat, admissum non esse, nisi &c. Contra alii rem totam in dubiū vocant, quos inter *Scaliger*, qui in animadvers. *Euseb.* ait: *Ne illi magnam injuriam sacrosancto Christi cultui faciunt, qui primi hunc latronem Araba Domini sui innocentissimi interfectorem, idolorum cultorem &c. Christianum ausi sunt dicere &c.* Inde *Sulpitius Severus* l. 11. Hist. sacr. disertè ait: *Constantinum primum omnium Romanorum Principum fuisse Christianum.* Quod ipsum & *Lactantius* sub initium divinarum suarum institutionum asserere non dubitavit. Ipse etiam *Eusebius* Christianismi Philippiani assertor jam citatus non satis constare sibi videtur, cum l. 4. de vita Constantini, ubi de Baptismo ejus verba facit, ita infert: *Sanè ex omnium Imperatorum memoria solus Constantinus in Christi confessionibus renatus, & sacris initiatus, divinoq; sigillo donatus &c.* Nisi quis dicere malit, *Eusebium* quicquid lib. 6. Hist. Eccl. de *Philippi* Christianismo recenset, non de suo, nec tanquam omnino certum pronunciare, cum dicat: *λόγος κατέχει*, i.e. fertur, seu fama est, s. sermo perhibet. Nos licet in medio hancce nunc relinquamus controversiam; *Constantinum* tamen primum Christianismi inter Romanos Imperatores defensorem strenuum & confessorem publicum laudamus. Id quod pluribus ex presenti patebit Dissertatione, in qua *historiam Constantini M.* cum Theologiae tum Politices cultoribus satis utilem breviter, Deo assistente, sistemus, Esto igitur

MEMBR. I. exhibens
CONSTANTINUM feliciter nascentem & Parenti
exoptatò succedentem.

§. 1. Jam decennialibus persecutionum tenebris involutus ge-
mebat Christianorum cœtus, cum tranquillitatis lucem exo-
riri illis facturus cœli terreq; Monarcha, *Constantini M.* accuraret
nativitatem ejusdemq; ad Imperii gubernacula admotionem.
Moderaverant nuper imperii habenas, sævierantq; in Christia-
nos crudelissimè *Diocletianus & Maximilianus* Imperatores col-
legæ, concordés ceteroqui, sed victoriis elati: uterq; n. Deorum
suorum nomina assumebat, ille quidem *Jovii*, hic *v. Herculei*.
Cumq; in senium jam vergeret *Diocletianus*, abjectâ imperandi
curâ in privatam concesserat vitam, utq; idem faceret *Maximi-
nianus*, junioribusq; jam antè in affinitatem & imperii consorti-
um vocatis, *Constantio* sc. *Cbloro & Galerio Maximino* Reip. tuendæ
statio traderetur, obtinuerat. *Galerius* quoq;, cum *Constantio* so-
lius Galliæ & Britanniæ terris contento, plures ipsi accessissent
ditiones, duos novos creaverat Cæsares *Maximinum* sc. *Dazam*
per orientem & *Severum* per Italiam, ita ut quatuor in imperio
tunc rerum potirentur. Ex his *Severus* à *Maxentio* Maximiniani
filio (quem interim Prætoriani milites Romæ Augustum nun-
cuparant) cum adversus Maxentium milite instructus Romam
tenderet, per insidias comprehensus mox diem obibat. *Galerius*
etiam post sævissimam Christianorum persecutionem *Maxenti-
um* oppugnaturus miserrimè interibat. *Constantius v. Cblorus*
vir egregius & præstantissimæ civilitatis (cui Theodoram pri-
vignam suam Maximinianus, remota priori conjugè, matrimo-
nio junxerat) detestatus Collegarum sævitiam per provincias
sibi subjectas pacem indulgebat Christianis, cum filium Ecclesiæ
bono ex priori cum *Helena* conjugio genuisset *Constantinum*.

§. 2. Hujus ipsius *Constantini* ingentem à puero animum ve-
riti Collegæ Parentis ejus *Diocletianus & Galerius*, apud quos
militabat, ad pericula eum subeunda hortari, elapsum interfice-

re cogitabant. Ast ille arreptâ qua opus erat fugâ in Britanniam
 veniens Constantium ibi parentem vitæ ultima agentem reperit.
 Quo deinceps functo, Constantinus statim annitentibus, qui ad-
 erant, cunctis militibus & provincialibus Imperator eligitur.
 Interim *Maxentio*, quem milites prætoriani, ceu diximus, Romæ
 Augustum appellaverant, ibidem dominabatur eò crudelius,
 quod *Severum*, uti jam dictum, vicisset, & milites Parentem *Maxi-*
minianum fastigia imperii, quod Diocletiani suasu invitus depo-
 fuerat, resumere filiumq; denudare meditantem elussissent. *Ma-*
ximinianus quoq; sic elusus ad Gallias proficiscebatur, Constanti-
 no cui Faustam filiam junxerat, semet associaturus, vel potius
 repertâ occasione eundem trucidaturus. Detectis a Constanti-
 no à Fausta fraudibus Maximinianus Massiliam profugit, ubi
 oppressus pœnas impietatis justissimo exitu luit. Jam quatuor
 superstabant Reip. præsidentes, *Constantinus & Maxentius* filii
 Augustorum, *Maximinus* item, quem Cæsar *Galerius* auctus pro-
 vinciiis, ceu dictum, adsciverat, & *Licinius*, quem idem proximè
 antè obitum Imperatorem fecerat.

MEMBR. II. sistens

CONSTANTINUM Collegas, *Ecclesiæ* hostes, gloriôsè
 vincentem, pacemq; *Ecclesiæ & Reip.* restituentem.

§. 1. Constantinus a. Vir ingens ceterisq; promptus virtutibus,
 ubi nobiles Romæ oppugnari Christianosq; vexari à *Maxentio*
 comperit, *Licinio* sibi per nuptias sororis Constantiæ devincto,
 à Senatu Romano ex Galliis accersitus *Magnentium* petit, du-
 bitantiq; an peteret Romamq; duceret exercitum, Deus illustre
 crucis signum (si Eusebio fides habenda) tempore meridiano
 lucidissimum his verbis inscriptum: *ἐν τῷ νικᾷ* i. e. *in hoc vince*,
 ostendit. Itaq; debellato sub auspicio Christi crucifixi *Maxentio*,
 eoq; in profundum fluminis, tanquam altero Pharaone, cum
 multitudine militum demerso, Constantinus cum affine *Licinio*
 pacem Christianis in occidente abolitis tyrannorum decretis
 promulgat.

A 3

§. 2. IB

§. 2. In Oriente v. *Maximinus* imperii socius, qui nuper extremum Satanæ virus in Ecclesiam profuderat, nunc oppresso scelerum socio *Maxentio* sibi metuens, afflictiari quidem ulterius Christianos prohibebat; conventus tamen concedere iis detestabatur, quin & primas potestatis partes sibi soli afferebat. Igitur Constantino autore *Licinius* contra ipsum expeditionem suscipit. Mox victum inq; Ciliciam refugum Tharsosq; inclusum urbe, atrox corripit morbus, quo & invocata crebro morte miserimè est consumptus. Ira extinctis Tyrannis *Diocletiano*, *Maximiano*, *Galerio*, *Maxentio* & *Maximino* decennalis persecutio cessat, imperiumq; tenent Constantinus & Licinius, collegæ affines.

§. 3. Et profecto dici nequit, quam gratus amicusq; Christianis post decennales istas afflictionum nebulas emicuerit tranquillitatis Phoebus. Abhinc regnum & potestas omnis Christi sanctorumq; ejus facta videtur, juxta vaticinium Johannis in Apocalypsi ante ducentos & quod excurrit annos editum: Hostes sanctorum suppliciis affecti, publicæ Deo ab omnibus ingenti jubilo actæ grates, restaurata Christianorum templa: Synodi quoq; Romæ & Arelate sunt coactæ, jussusq; à Constantino *Miltiades Cæciliani* Carthaginensis & *Donati* controversias in præsentia legatorum ejus decidit, quiq; electionem Cæciliani impugnabant, inefficaxq; docebant illorum ministerium, qui non legitimè essent vocati, damnati sunt quidem, sed capitali supplicio haut affecti. Hinc & disertè Constantinus in hac causa dixisse fertur, commiserandos potius tales esse quàm pænis afflicandos. Quo ipso politicorum Christianorum ad stipulari videtur sententiæ, quâ contra Pontificios, capitali supplicio afficiendos esse hæreticos, negant.

§. 4. Ceterum solem hunc tranquillitatis quinquennio circiter effluxo obducere quædam nebula gestiebat. *Licinius* n. cum transversum eum egisset Satanæ, ut communem interiumperet felicitatè, occultè primùm odisse, mox & apertè afflictere Christianos cœpit. Igitur ab afflictis invocatus noster, prævertere cruentos

entos hominis conatus, antequam omnino prorumperent, insidiasq; sibi structas, quamvis esset affinis, intervertere cogitabat. Primò tn. hortabatur ut Christianis secundum edicta, quæ simul fecerat, parceret. Persistentem v. in malitia & bellum minantem bello petit fugatq;. Dehinc alio pulsum prælio fædera; petentem recipit. Tandem v. exercitum recolligentem adegit Constantinus acie omni superior ut pactâ per uxorem salute privatus Theſſalonica degeret. Ibi v. paulo post res novas moliens à præsidio Constantini interfectus, fusum Christianorum sanguinem suo piavit. Ex quibus omnibus ea illustratur doctrina politica, quâ asseritur, licere Christiano magistratui hodiernum bella gerere, præsertim contra religionis hostes. Certè si bonorum est principium pacem subditis & libertatem in corporeis etiam gladio, si non aliter licet, redimere, quare non potius in eis quæ animam attinent, æternamq; salutem? Et si magistratui licet publicâ vindictâ resistere uni latroni, quin aliquot maleficos pœna afficere, Rom. 13, 4. Ergo etiam plures in bello, qui Remp. qui Ecclesiam vastare conantur, Hostium enim bella illegitima nil sunt nisi latrocinia.

§. 5. Ita verò omnibus extinctis, ceu dictum, Tyrannis solus tenens Monarchiam Constantinus, de legibus statim (prout Majestatis jura exigunt) fuit sollicitus. Adeoq; leges quæ in Ecclesia & Rep. hæctenus siluerant restituere cœpit, multas quoq; novas præsertim circa conjugium & pudicitiam sanxit, prohibuit civibus polygamiam, de Christianis contrarias planè tyrannicis leges tulit &c. Et hæc mutatio una inter præcipuas & major fuit illâ, quam *Cyrus* fecit domitis Babylonis, & *Alexander* superato Codomanno, & *Cæsar* victo Pompejo, & *Augustus* debellato Antonio. Causa quoq; bellorum major, quam ulla in imperiis unquam fuit. Certabatur n. an deinceps totus orbis Christianis pareret principibus, deleteris religiones Ethnicas; an v. obtemperaret ethnicis, abolituris Christianos. Neq; robore etiam destituebatur imperii, ut dici de eo verè potuerit:

Hic

Hic causâq; valet causamq; tuentibus armis.
Unde & has propter & alias res gestas verè *Magni*, vel, ut Eusebius
judicat, *Cyro* & *Alexandro majoris* cognomentum obtinuit.

MEMBR. III. proponens

CONST. Ecclesiam piè nutrientem Synodumq; Oecumenicam Nicænam indicentem.

§.1. Ceterum illam Imperii Ecclesiâq; tranquillitatem, Dei gratiâ armisq; Constantini partam, turbare aliâ mox nitebatur viâ Diabolus pacis veritatisq; à principio hostis. Igitur in ipsa Ecclesia excitabat *Arium*, veræ æternæq; Deitatis Christi hostem, cujus hæresi violentius venenum Ecclesiam vix invasit. Fuerat a. *Arius* hic primùm Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconus, deinde presbyter, facundus & argutus. Cum a. defunctis Episcopis Alexandrinis *Petro Martyre* (qui ipsum ordinaverat Diaconum rursusq; turbulentum deposuerat) & *Achilla Petri* successore (â quo veniâ petita non modo receptus sed ad ministerium etiam promotus erat) in electione Episcopi novi *Alexandro* postponeretur, invidia atq; ambitionis stimulo, uti fieri consuevit, exagitatus, quærere cœpit pugnarum occasiones inq; presbyterorum conventu *Alexandro* *περὶ τῆς παναγίας τριάδος ἐν μονάδι* curatius differenti (arbitrabatur a. Episcopum inducere dogma *Sabellii*) vehementer contradicendo, ad opiniones tam absurdas delapsus est, ut ratiocinaretur: Si pater genuit filium, certè initium essentiæ suæ habebit fili?, ac constabit, fuisse aliquando tempus, in quo filius nondum extiterit. Ex hoc a. rursus sequetur, habere illum hypostasin ἐξ ἑκ ὄντων i. e. *ex non existentibus* &c. ita ille. Unde *Ariani* postea dicti *Exucontii*. Et hanc disputationem subito per universam *Ægyptum*, *Lybiam*, *Thebaida* vicinasque provincias divulgavit, ita ut concercationis hujus fama ipsam Imperatoris aulam personando commoverit.

§.2. Ille v. prout Magistratus est Religionis curam gerere, gravissimas hæc contentiones gravissimè detestatus de sopientis iis sollicitè cogitavit. Cum a. legatione *Hosii*, *Cordubensium*
Episco-

Episcopi nomine & re *sancti* literis Cæsareis instructi non posset, ecce consilio Episcoporum *Oecumenicam Synodum Nicææ* in Bithynia celebrandam indixit, cui non tantum 318. Episcopi sed & plures presbyteri ac Diaconi ex omnibus ferè provinciis & urbibus interfuerunt. Ex quibus id contra Pontificios observare licet, indicere concilia Magistratui competere non Papæ. Quomodo non tantum hic *Constantinus* noster seculo quarto *Nicænum* contra Arium, sed & postea eodem seculo *Theodosius M.* indixit *Constantinopolitanum I.* pro & contra Macedonianos, & seculo 5. *Theodosius junior* *Ephesinum* contra Nestorium, & *Martianus Chalcedonensem* contra Eutychem, & seculo 6. *Justinianus Constantinopolitanum II.* contra Origenianos &c. seculo 7. *Constantinus Pogonatus Constantinopolitanum III.* contra Monotheletas: seculo 8. *Constantinus Copronymus Constantinopolitanum IV.* pro Iconomachis, & *Irene Augusta Nicenum II* contra Iconomachos, & *Carolus M.* Synodum *Francofurtanam* contra Concilium *Nicenum II.* item contra Felicem & Elipandum &c.

§. 3. Neq; v. tantum indixit Constantinus, sed & ipse pro singulari iua erga Christianam religionem cura concilio interfuit, inq; medio sedili aurato confedit: quin ipse oratione ad concordiam directâ exceptit orationē Eustachii Antiocheni Episcopi, primum locum in dextro Episcoporum ordine occupantis (Tunc scil. altum in Ecclesia de primatu Papæ Romani, quem nunc jactitat, fuit silentium) Præmissis a. his præfationibus utriq; parti suam agendi causam potestas est concessa, Ariq; in medium frequenter adducti & libelli *Eusebii* Nicomediensis, Patroni ejus, assertiones sunt examinatæ. Epiphanius quidem Arii præsentiam in dubium vocare gestit, quando post mortem ejus concilium habitum scribit, hæres. 68. & 69. Ceterum Epiphanius qui Sculteri iudicio in Medulla Patrum p. 256. puritatis doctrinæ magis, quam historiæ temporisq; fuit studiosus, præter alias, quæ in promptu sunt, rationes opponim⁹ auctoritatem Sozomeni l. 1. c. 16. & l. 2. c. 28. Socrat. l. 1. c. 25, 26. Ruffin. l. 1. c. 1. & 13. Theodoret,

B

doret,

doret. l. i. c. 14. Athanas. Orat. i. contra Arian. & Epist. ad Serapionem. Niceph. l. 8. c. 51. In eadem quoq; sententia est Lutherus lib. de conciliis.

§. 4. Collectis ita sententiis Arii dogma damnatur, & Christus Patri *ὁμοστικός* (prout rectè hæcenus ante Concilium docuisse quosdam orthodoxos testis est Theodoretus l. i. c. 8. Athan. Epist. de conc. Nicæno) i. e. ejusdem essentia, non factus, nec creatus, sed ab æterno à patre genitus declaratur, Symbolum publicum editur Constantini manu firmatum, Arius cum factione sua in exilium agitur. Quin & vetus de *Pascatis* celebrandi tempore controversia sublata, primaq; post plenilunium æquinoctiale Dominicâ posthac celebrandum esse decretum, aliæq; lites, quas inter se fovebant Episcopi, habitâ Constantini oratione Irenica & combustis ab eodem, quibus litigia continebantur, libellis prorsus abolitæ. Controversia quoq; de conjugis Sacerdotum dissolvendis dissuadente *Paphnutio* Sene sopita. Atq; ita velut novum de hostibus Ecclesiæ triumphum agens Imperator, Episcopos convivio exceptos muneribus afficit: Paphnutiiq; jam laudati & Spiridionis Episcoporum accepta pro Christo stigmata osculatus, beatos omnino eos, quibus talia pati contingit, publicè prædicat.

MEMBR: IV. exponens

CONST. Sedem Imperii transferentem.

§. 1. Posthæc non modò locum Sepulturae Domini ab ethnicis conspurcatum mundari temploq; exornari jubet; sed & muros *Byzantii* in Thracia restaurari curat, eamq; urbem *novam* appellat *Romam*; sed consuetudo vicit, ut dicta sit Constantini urbs s. Græcè *Constantinopolis*. Illam v. translata eò sede Cæsareâ, pluribusq; nobilium Romanorum familiis, collectisq; ex Italia & aliis terris opibus, ad tantum subitò evexit fastigium, ut Romæ etiam veteris æmulam faceret: unde postea veteris Romæ Italiaq; & imperii occidentalis status valdè fuit languefactus.

§. 2. Quærere hic licet, quid Constantinum ad isthanc sedis
trans-

translationem moverit? Pontificii certè eam ob causam translationem esse factam contendunt, quod Constantinus Romam & Imperium occidentis Papa Sylvestro & successoribus dono dederit, ideoq; sedem suam & regnum ad orientales regiones transferre necessum habuerit. Et hunc in finem ad Instrumentum Donationis Constantini provocant, in quo non procul à fine Constantinus ita loquitur: *Ecce palatium nostrum & urbem Romam & totius Italiae & occidentalium regionum provincias, loca, civitates saepenumero praedicto beatissimo Patri nostro Sylvestro Catholico Patri tradentes & cedentes hujus & successoribus eius Pontificibus potestati & iudicio, & per divinum nostrum Pragmaticum edictum decrevimus disponenda atq; s. Romana Ecclesia concedimus permanenda. Unde congruum iudicavimus nostrum regnum & hujus gloriam ad orientales regiones transferre, & in urbe Byzantio optimo loco in nostro nomine urbem adificantes illic nostrum imperium constituere. Ubi Sacerdotum principatus & Christiana religionis caput à caelesti Rege est constitutum, non est iustum illic potestatem habere terrenum Regem.* Haec tenet verba instrumenti. Ceterum isthanc Constantini donationem figmentum esse peculiari disp. probabimus. Conf. Infr. membr. 6. Adeoq; donatio illa non est translationis hujus causa. Quanam ergo? Et si Roma vetus ab oriente est longè distita, adeoq; Byzantii situs longè ad tuendum Occidentis & Orientis imperium commodior, assiduisq; adversus Sarmatas & Gothos in eo opus erat loco praesidiis, quæ omnia movere satis Constantinum potuerint; potio-rem tñ. tantæ mutationis causam fuisse fatum arbitramur: si quidem & urbium & imperiorum fatales esse periodos abunde constat. Deus ergo, qui, dicente Daniele, transfert & stabilit regna, peregrinorum populorum adventu puniturus Italiam & ipsam adeò Romam, voluit prius a libi condere imperii artiumq; sedem: quæ quidem ab instauratione ad usq; postremam à Mahomete ante ducentos & 17. annos factam expugnationem talis mansit.

§. 3. Queritur porro, an Constantinus, sedem suam relictâ

B 2

Româ

Romã in novum quendam locum transferens, desierit esse Romanus Imperator? Resp. negando. Tenuit n. amplius idem imperium illud, quod tenuerat antea; quodq; tenuerant ante ipsum alii. Et si vel maximè Dominus Romæ urbis non mansisset, sed eadem alii sejusdem s. alterius gentis Regi paruisset, Romani tñ. Imperatoris titulum dignitatemq; retinuisset. Certè n. cum Constantinus noster amplissimum suum in tres partes, ceu infra docebitur, divideret imperium, tribusq; illas filiis addiceret, illi quoq; filii, (Constantinus & Constantius) quibus dominiũ ipsius Romæ non competeret, Romani Imperatores appellabantur, & illæ quoq; imperii partes, quibus Roma non comprehendebatur, Romani imperii partes adhuc dicebantur. Ita & ipso quarto hujus seculi fine cum imperiũ divideretur inter *Arcadium & Honorium* Theodosii M. filios, quamvis non Arcadius sed Honorius Romæ esset Dominus, ipse tñ. Arcadius quoq; Romanus imperator erat, quia sc. partẽ ejus tenebat imperii, quod uno nomine Romanum audiebat. Neq; v. hitantum sed & reliqui imperatores, qui inde à seculo 5. sive ab Arcadii temporibus usq; ad seculum 15. quo Turca imperium orientale vi occupavit, adeoq; per mille annos in nova Roma s. Constantinopoli sedem habuerunt, Romanorum imperatorum semper servarunt titulum & dignitatem, etiam tunc cum Romæ Urbis vel Italiae Domini non essent, sed hanc alii Reges vel ejusdem vel alterius gentis seu vi seu bona Imperatorum gratia occuparent: id quod factum est tempore *Augustuli* ab Odoacro Herulorum Rege, & paulo post tempore *Zenonis* à Theodorico Ostrogotorum Rege, & tempore *Justini II.* & seq. à Longobardis, ut & tempore *Leonis Iconomachi*, cum Romani instinctu Papæ ob Iconomachiam detrectarent imperium Cæsarum Constantinopolitanorum. Causa v. cur Imperatores Constantinopoli sedentes à Constantini Arcadii ve temporibus usq; ad seculum 15. usq; ad *Johannem Palæologum* nomen dignitatemq; Romani Imperatoris servarint hæc est, quod imperium istud Romanum orientale non ante seculum
decimum

decimum quintum ab aliarum gentium Regibus fuit occupatum. Cum v. ipso decurrente seculo decimo quinto imperium Constantinopolitanum sub imperatore Joh. Palæologo ab alterius gentis s. Turcarum Rege Mahomete per vim occuparetur aliique regno adderetur, tum desinebat & extinguebatur ea imperii Romani pars, quam Imperatores Romani Constantinopoli sedentes tenerant. Unde & eam imperii partem, quam Turca hodie possidet, nemo rerum harum peritus imperium amplius vocat Romanum. Sed qui Turcicum s. Othomannicum nominat imperium, is simul eam comprehendit partem, quam olim Imperatores Rom. tenerunt & nunc Turca possidet. Ex quibus omnibus & illud obiter collectu est proclive, quod non tantum hodiernus Rex Germanorum sit Imperator Romanus, licet Romæ non sit Dominus: quia partem imperii Romani possidet, quæ ab aliarum gentium Regibus per vim non est occupata & retenta; sed etiam quod Romanum imperium hodiernum durare sit dicendum, quia id appellationem suam nondum amisit, nec per vim ab aliarum gentium Regibus occupatum fuit & retentum.

MEMBR: V. subjungens

CONST. gloriam suam quodammodo labefactantem.

§. 1. Uti v. nulla est quantumvis magna felicitas & gloria in hac vita, cui non multæ misceantur calamitates & ignominia: ita & felicitati gloriaq; Constantiaï hacten⁹ prædicatæ quædam adhærebat labe. Non n. tantum *Crispum*, filiorum maximum, quem è priori Coniuge Minervina genuerat, quemq; jam Cæsare nominaverat, confectis à noverca Fausta criminibus inductis trucidari iussit (Fuit a. Fausta Maximiniani de quo supr. membr. 1. filia, quæ ad suos transferre imperium suos cogitabat) sed & postea ab Helena matre, nimio nepotis dolore acta, increpatus ipsam illam *Faustam* uxorem sceleris & calumniæ convictam ardentibus balneis necavit. Sed illa fuerunt tantum domestica.

§. 2. His accessit calamitas publica. Damnatus nuper ipsius curâ & Patrum iudicio laudabiliter fuerat Arius, & complices

B 3

ejus

ejus in ruborem datus; ast ubi deceptoribus & Sycophantibus, à quorum veneno vix ulla satis est tuta sanctitas, aures commodavit, & criminationibus *Eusebii* Nicomediensis id & complicum fidem habuit Constantinus, non tantum orthodoxi *Atbanasius* sc. Episcopus Alexandrinus, cujus, tunc temporis Diaconi, eruditio in Nicæna luxerat Synodo, & *Eusebatus* Antiochenus sunt oppressi & damnati: sed & heterodoxi omnino relevati, quin ipse *Arius* Constantini jussu ab exilio revocatus. Sed ecce quàm imposuit is Imperatori & quàm sese exeruit divina nemesis! Jussus fidei subscribere Nicæna, illudq; juramento confirmare Arius, juravit quidem sed ad opinionem suam in charta scriptam & sub ala conditam, ut dicere posset, jurasse ut scripsisset. Deceptus ita Constantinus veteratorem plenariè restituere vel invitis orthodoxis jubet. Ceterum efficaces horum & imprimis Alexandri Episcopi Byzantini preces minabunda Arii & Eusebianorum molimina ita interpellarunt, ut Arius qv. triumphabundus jamjamq; restituendus in foeditissimam latrina sedam cum visceribus animam inopinatò profunderet. Ita quidem homines falli perjuriis possunt, Deus non potest!

§. 3. Licet v. eo quo diximus modo quodam labem gloriae suae contraxerit; virtus tñ. è multò pluribus aliis actionibus eluxit, adeo quidem ut ab ultimo occidente usq; ad extrema orientis honoraretur & timeretur: Uti n. Britanni & Galli ejus initia, sic ultima illius tempora legatione quadam coluerunt Indi, qui fide nuper imbuti nunc à Constantino confirmati Majestatem Christi prædicarunt. Quæ v. Aurelius de Constantino dixit, quod cuncta ejus facta divino ritui paria fuissent visa, nî parum dignis ad publica concessisset aditum, eo ipso suam erga Christianos odium prodidit: loquitur n. id de Christianis, quos plerisque provinciis dederat Constantinus Rectores.

MEMBR. VI. annectens

CONST. tempestive imperium inter filios partientem pauculoz ante mortem Baptismum suscipientem.

§. 1. Mor-

§.1. Mortalitatē a suā memor Constantinus tempestivē imperii sui inter filios instituit partitionem, ita ut *Constantino* maximo, quem Anno imperii X. Cæsarem nuncupaverat, occidentem tribueret, sc. cuncta trans Alpes, avitam dominationem: Secundo *Constantio*, quem anno XX. Cæsarem adsciverat, à freto Propontidis Asiam & orientem adsignaret: Minimo *Constanti*, quem anno XXX. Cæsarem fecerat, interjectam superioribus regionem, Illyricum sc. Italiamq; & ipsam Romam, item Africam, Dalmatiam, Macedoniam &c. addiceret. vid. Socrates l.1. hist. Eccl. c. 25.

§.2. Neq; v. imperii tantum, sed & animæ, ut post obitum bene esset, curam gessit. Cum n. in morbum incideret, extremumque vitæ diem appropere sentiret, *baptismum* autè petiit. Constituerat equidem (uti verba ejus habent ad Episcopos convocatos, vid. Euseb. Pamp. Cæsariens. in vita Constantini l. 4. c. 6.) in illius Jordanis gurgitibus, in quibus Servator ad nostrum exemplum baptisatus memoratur, baptismum suscipere; ceterum non licuit: anno n. dominationis 32., ultra 63. natus in Persas tendentem morbus quidam corripit. *Ubi v. in mentem ei extremus vite dies venit*, (verba sunt Eusebii l. c.) *existimaretq; hoc tempus opportunum esse ad delenda illa errata, qua admiserat, crederetq; arcanorum mysteriorum efficaciam & salutaris lavacri institutione mentem expiari, humi procumbens genibus, inq; ipsa martyrum a de errata sua confessus supplicem se Deo offerebat. Ubi primum manuum impositione per precationem dignus est habitus, inde discedens ad suburbana Nicomedia civitatis pervenit & convocatos Episcopos allocutus summa cum letitia est baptisatus.*

§.3. Ex quibus Eusebii verbis patet, Constantinum *Nicomedia* esse baptisatum paulo ante obitum. Baronijs contra & alij Pontificij contendunt, Constantinū *Roma*, longè ante obitum à *Sylvestro Papa* esse baptisatum & exinde à lepra purgatum, pro eoq; beneficio & ministerio Constantinum dono dedisse *Sylvestro* & successoribus imperium occidentale urbemq; Romam. Et Baronijs qui-

us quidem ad annum 324. num. 43. in Eusebium, qui Pontificiis contrariatur, gravissimè invehitur. Ceterum odium illud quod Cardinalis ille ubiq; fere prodir, non aliunde natum est, quàm quod historicus ille, qui laudes & donationes Constantini prosequitur, *Donationis illius decantata* non modo mentionem non facit ullam, sed eam quoq; fictam esse innuit, dum Constantinū non à *Papa Romano Roma*, sed *Nicomedia* baptizatum memorat. Quascunq; v. Cardinalis jactitet verborum ampullas pro baptismo Constantini Romæ suscepto; nos in. veriolem sequimur Eusebii sententiam, qui Constantino probè notus fuit & dilectus. Neq; v. alius etiam testis à *Ἐπιτομῆ* & aut Constantiniano ævo aut pluribus post seculis de baptismo à Sylvestro Romæ collato. lepraq; simul curata mentionem habuit.

§. 4. Neq; est quod objiciunt, Constantinum nullo majorum persuasum potuisse esse exemplo, ut ad decrepitam usq; senectutem baptismum differret: Hic n. sciendum est, non statim promiscue omnes, qui ex gentilismo ad Christianismum transierant, suscepisse baptismum; sed eundem satis diu distulisse. Hinc & multum fuisse *Ambrosium*, ut pravam illam consuetudinē, quā fideles quamplurimi tam in oriente quàm in occidente baptismum ad provectiorē differebant ætatem, tanq. malum germen ex agro Domini penitus evelleret, quodq; ipse fecisset, ne ab aliis imposterum fieret, vehementer admonuisse, ipse refert Baroniū ad annum 377. n. 14. Sed de his & aliis quæ objici contra Eusebium & Constantini baptismum Nicomediae susceptum solent, pluribus agendi in ipso conflictu seu in alia fortè dissertatione dabitur occasio.

COROLLARIA.

1. Monarchia Græca non fuit extincta, quando post Alexandri obitum. Duces ejus in varias partes regnum Macedonicum sciderunt.
2. Carolus M. collatam post devictos Longobardos dignitatem Imperatoriam non acceptam refert Papæ.
3. Imperium Romanum non est extinctum, cum illud occuparunt Germani.
4. Nihil frequentius in ore est multorum, quam Principes Viros, Ecclesiæ beneficientes, quos inter Constantinus eminent noster, dicere Ecclesiæ nutrices vel lactantes, Germanicè *Seugammen*. Ceterum minus rectè. Neq; locus Esa. 49. 23. quem citare solent, id probat: in fonte enim est שרותיהם, quod est foemin. à masc. שר adeoq; significat Ihre (sc. der Könige) Gemahlinnen vel Fürstinnen sollen deine Seugammen sein.

T. ☉. Δ.

Ad

Ad
Præstantissimum Politissimumq;
Dn. GEORG. HENR. HERMANNUM,
In Metaphysicis &c. nuper Auditorem,

Nunc de
CONSTANTINO MAGNO
In
frequenti publicoq; literatorum conventu
RESPONSURUM.

I.

GNavus ut in latebris non vivit, Martis alumnus,
Sed cupidus prædæ multa pericla subit:
Sic quoq; Tu latebras fugiens certamen inire,
Suavis Amice, paras, atq; pericla subis.
Quin CONSTANTINI certamina, quamq; coëgit
Nicææ Synodum commemorare sedet.
Annuat inceptis DOMINUS, qui *γαστέρας ἀργὰς*
Odit, & hos qui nil non operantur amat.
Tu pergas, ut verus abhinc *Heermannus* & ipso
In sacro cœtu Dux gregis esse queas.
Mons equidem variis conatibus undiq; rectis
Obstabit, finem sed dabit hisce Deus.
Quemq; juvat pede virtutis conscendere montes,
Vincet & ex merito deniq; ferta feret.

II. Ad

II.

Εν τῷ ἔμην Κωνσταντῖνον τὸν Καίσαρα, πολλὰς
 Χριστογονεῖς ἐχθρὰς εἶχον οἱ εὐσεβεῖς.
 Ὁν δὲ τρέπων τῇ τῆς χριστῆ ἐπιμερίᾳ αὐτὸς
 Νικήσῃ, πάντων τῶ πολέμῳ κρατέων,
 Ἐν μελέτῃ ταύτῃ, πολυφίλτατε, πύφρονι θυμῷ
 φράζεις, ὡς γράφῃ παῖσιν ἐν ἰσορίαις.
 Πάντα καλῶς. Μελέτῃ κέλεται θεῷ ὑψιμέδουσι
 Ἡδὲ ἅπασ' ὁσίοις ἡμερόσσο βεστοῖς.
 Ἔσσο ἀνὴρσὺ αἰ, ἔ πόλλ' ὑπερήφανοι ἄνδρες
 Σὲ βλάψουσι, θεὸν βέλεται εἰ ἀγαθὰ.
 Ἔσσο ἀνὴρ, ὅτι ἀνδρείοι φεῦ πᾶυροι ἔχονται,
 Οἱ σαρκὸς φάουλῃς, οἱ τε κρατῶσιν ἔο,
 Οἱ κατὰ τῆ Σατανᾶ ἰσᾶσι κακῆς μετοδείας
 Τῆ κοσμοκράτορος, τῆ μέγα ἀγχινός.
 Ἔσσο ἀνὴρ, ἀφροντίσει τὰς γαστέρας ἀργὰς.
 Ἐν πολέμῳ μισῶν κῆ θεῷ ἔσσο ἀνὴρ.
 Χρηστὰ ἅπαντα φερεῖ σοι ὁ ὀβριμοεργὸς Ἰησοῦς,
 Ὃς πάντοσ δῶρε χρησίμω ἐστὶ δοτήρ.

Honoris & amoris ergo Lmā
 M. A. D. Habichhorst.

Ad Per-Exim. DN. HERMANNUM.


Quod Constantinus DOMINI defendere cœtum,
 Gestieritq̄, simul se sociare piis,
 Dum tibi sibus doctis publicè proponis, Amice,
 Gratulor, & studiis prospera quæq̄ precor.


Joh. Lanzius, Th. & Ph. Stud.

Qui Constantinum loqueris, Constantis amici
 Omen habes: studiis adstet ubiq̄, Deus!

Pascalius Zander, Jur. Stud.







§.1. Mortalitatē a suæ memor Con-
perii sui inter filios instituit partitione
maximo, quem Anno imperii X. Cæsarem
tribueret, sc. cuncta trans Alpes, a
Secundo *Constantino*, quem anno XX. Cæ-
Propontidis Asiam & orientem ad sign-
quem anno XXX. Cæsarem fecerat, in
regionem, Illyricum sc. Italiamq; & ipsa
Dalmatiam, Macedoniam &c. addiceret
Eccl. c. 25.

§.2. Neq; v. imperii tantum, sed & ante
ne esset, curam gessit. Cum n. in morbu
que vitæ diem appropere sentiret, *baptizatus*
stituerat equidem (uti verba ejus habe-
catos, vid. Euseb. Pamph. Cæsariens. in v. 10.
in illius Jordanis gurgitibus, in quibus
exemplum baptizatus memoratur, bap-
tizatum non licuit: anno n. dominationis
sas tendentem morbus quidam corrip-
tus vite dies venit, (verba sunt Eusebii l. 10.
oportunum esse ad delenda illa errata, qua
norum mysteriorum efficaciam & salutaris
expiari, humi procumbens genibus, inq; ipsa
confessus supplicem se Deo offerebat. Ubi
ne per preceationem dignus est habitus, inde
Nicomedia civitatis pervenit & convocatus
ma cum letitia est baptizatus.

§.3. Ex quibus Eusebii verbis patet, C
esse baptizatum paulo ante obitum. Baro-
ficii contendunt, Constantinum Romæ, lo-
Papa esse baptizatum & exinde à lepra p
nificio & ministerio Constantinum do-
cessoribus imperium occidentale urbem

impetivè im-
Constantino ma-
at, occiden-
inationem;
erat, à freto
no *Constanti*,
uperioribus
em Africam,
rates l. i. hist.

obitum be-
extremum-
petiit. Con-
pos convo-
tini l. 4. c. 6.)
ad nostrum
ipere; cete-
natus in Per-
ntem ei extre-
etq; hoc tempo-
deretq; arca-
tione mentem
de errata sua
im impositio-
suburbana.
allocutus sum-

in *Nicomedia*
& alii Ponti-
m à *Sylvestro*
pro eoq; be-
Sylvestro & suc-
Et Baroni-
us qui;

